

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 110

**Autre(s) référence(s) :** Tabuteau 44

**Auteur(s) :** Néel [vicomte]

**Bénéficiaire(s) :** Tours, Saint-Martin de Marmoutier (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1060

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Néel [II], vicomte, approuve la donation de six églises, faite en faveur de Marmoutier par son seigneur, Guillaume, comte des Normands.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Histoire du château et des sires de Saint-Sauveur-le-Vicomte*, Valognes, Martin, 1867, pièces justificatives, n° 31, p. 34-35.

## Dissertation critique

La date « vers 1060 » est proposée par L. Delisle et E.-Z. Tabuteau.

Texte établi d'après a

Notum sit omnibus, presentibus et futuris, quod ego Niellus vicecomes donum sex ecclesiarum de insula Grenerodii, quod dominus meus Willelmus, Normannorum comes, fecit liberum et quietum, sicut in scripto quod de hoc ipso fit continetur, et ab eodem comite firmatum constat, absque cujuslibet calumpniæ inquietudine, quæ de me vel de meis surgere possit, Sancto Martino Majoris Monasterii ejusque monachis perpetualiter, pro anima mea, annuo, uxore mea Adila, simulque filiis nostris, Rotgerio videlicet et Willelmo, alteroque Willelmo et Girardo, una cum sororibus eorum, Emma, Bilelde atque Mahelde, idipsum similiter pro animabus suis annuentibus. Partes autem omnium quicumque tenebant de me aliquid de decimis harum sex ecclesiarum, id est ecclesiæ Sancti Petri de Portu, ecclesiæ Sancti Andreæ de Putenti Pomerio, ecclesiæ Sancti Martini de la Berlosa, ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Torta Valle, ecclesiæ Sancti Samsonis episcopi, ecclesiæ Sanctæ Trinitatis, liberas et quietas faciens, tanquam ea quæ sub meo erant dominio, assensu et voluntate jam dictæ conjugis et filiorum ac filiarum quos supra commemoravi, præfato sancto sibi que servientibus auctorizo, singulis, pro parte quam quisque in eisdem tenebat ecclesiis, reddens mutuam quod inter nos convenit. Omnes vero qui suas partes sancto Martino, me interveniente, dimiserunt, ad convincendum eos, si quandoque id negare temptaverint, hic nominatim designati sunt : Niellus filius Unfredi de Haga, Willelmus Rocherolus, Guazernacus, Torgius et Ricardus frater ejus, filii Britesonis, Rotgerius Trifledus, Toraldus filius Chetelli, Guido clericus, Guascellinus de Toravilla, canonicus Sancti Salvatoris, Toraldus filius Helgonis. Rotgerius vero filius Toraldi, qui suam partem quemadmodum alii dimisit, septem libras denariorum a fratribus Majoris Monasterii accepit, eo quod quindecim acros terræ propriæ, quam in eadem habebat insula, Sancto Martino in dominio donaverit. Ego quoque de ipsis fratribus triginta denariorum libras sumpsi, quas

michi karitate potius quam debito contulere, pro hoc auctorizamento, quod eis de omnibus quæcumque ad præfatas pertinent ecclesias feci. Testes autem qui hoc viderunt et audierunt, et hanc quæ de hac re facta est cartulam mecum pariter tactu manuum firmaverunt, his vocabulis appellati sunt : Nigellus, Adila uxor mea, Rogerius filius meus, Willelmus, Ingulfus dapifer, Rogerius filius Toraldi, Unfredus filius Ansquitilli, Rainaldus Foliot, Ricardus de Sturavilla, Gosfridus filius Rotberti Venatoris, Nigellus de Glanvilla, Rodulfus camerarius, Rannulfus capellanus, Serlus filius Alveredi, Ricardus Britesonis filius.